**De glandularum mesaraicarum inflammatione : dissertatio inauguralis ... / auctor Franciscus Augustus Krause.**

**Contributors**

Krause, Franz August.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1834.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/dxxswxg8

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

4

# DE GLANDULARUM MESARAICARUM INFLAMMATIONE.

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

*DIE I. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIV.*

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**FRANCISCUS AUGUSTUS KRAUSE**

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

PLAETSCHKE, MED. ET CHIR. DR.
ARNOLD, MED. ET CHIR. DD.
DIEZ, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

# DE GLANDULARUM MESARAICARUM INFLAMMATIONE.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE ADIPISCENDIS

DIE X. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE EXPONENS

AUCTOR

FRANCISCUS AUGUSTUS KRAUSE

SILESIUS.

---

OPPONENTIBUS:

PLÆTSCHKE, MED. ET CHIR. DR.

ANSOLD, MED. ET CHIR. DR.

HILZ, MED. ET CHIR. DR.

---

BEROLINI, TYPIS NICOLAIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

# FRID. ERDM. VOGEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, AUGUST. REGI BORUSS. A CONSILIIS MEDICIS, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN TERTIA CLASSE, CRUCIS FERREAE IN SECUNDA CLASSE EQUITI, SOCIETATUM COMPLURIUM LITTER. SODALI ETC. ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

Quum ego de exhibendo specimine quodam academico sollicitus, immensam fere rerum medicarum varietatem attento perlustrarem animo, dubius omnino haesi, quamnam disserendi materiem mihi desumerem. Cum enim tot tantaeque existant de quacunque doctrina medica exercitationes, ambiguus utique diu diuque manebam, quid scilicet mihi, de argumento quodam opusculi inauguralis medici cogitaturo, relictum intactumque manserit, quod tanquam specimen studiorum meorum medicorum offerre et in lucem edere possim. Vicit autem tandem apud me consilium nonnulla de inflammatione glandularum mesaraicarum tam acuta quam chronica disserendi. Optime quidem intelligo, me medicinae adhuc

tironem de hoc morbo, quem viri artis peritissimi et doctissimi tum vetustioris tum recentioris aevi multifarie tractarunt, nil novi prolaturum esse, tamen, quod dictum morbum observandi pluries occasio mihi oblata erat, hoc specimen elaborare constitui. Sed quae de hoc profero, quaeso, optime Lector, aequi bonique consulas memorque sis, libellum a juvene scribendi parum perito ac intra breve quidem temporis spatium exaratum esse.

Morbum, cui scribendo operam hic navabo, infantibus esse proprium, jure meritoque contendere licet. Omnes quamquam morbos infantiles cognitu et distinctu difficile esse nemo non intelligat, tamen hic prae ceteris, nominatim formam mesenteritidis sic dictae chronicae referens, in stadio primo virum acri ingenio et circumspecto praeditum ad eruendam diagnosin exigit. Nam saepe immo saepissime medicus ad aegrotulum arcessitus non satis diligenti exploratione facta nil nisi acidi primarum viarum symptomata agnoscit, et antacida in usum vocanda haud prorsus dubitat, eo minus, quo manifestius habitus scrophulosus infantuli, cujus vita vegetativa ad haec producta proferenda prona est, sese prodit. Cedunt quidem in tempus acidi symptomata neutralisatione, sed hebdomadibus transactis pluribus, macies, febricula vespertina et signa colliquationis jamjam haud occulta tabem mesarai-

cam intrasse et mortem inevitabilem esse portendunt. Instituta sectione variae desorganisationes in glandulis mesaraicis reperiuntur. Quare acidi symptomata cum morbo inflammatorio penitiori in organis nutritioni dicatis saepe confundi mihi videntur.

Cum plurimi infantum morbi ex nutritione laesa ob praevalentem illius actionem oriantur, glandulae mesaraicae, gravissima systematis lymphatici pars, quanti sint momenti in organismo infantis, facile est intellectu. Sin praeterea perpendas, scrophuloseos producta ad glandulas lymphaticas fere semper deferri, haud mirum, glandulas mesaraicas processu morboso eoque inflammatorio saepissime affici; quibus fit, ut in ipsis variae desorganisationes, indurationes, intumescentiae inveniantur.

*Baglivius* (1) primus febris decursum descripsit, cujus originem in mesenterio ponit et cui nomen tribuit febris mesaraicae.

*Burchardus* (2) et *Schenkbecher* (3), auctorem *Baglivium* subsecuti, non minus hanc febrem infantibus tantum propriam commemorant. Symptomata

---

(1) De praxi medica. Lugduni Batav. 1699. Lib. I. Cap. IX.

(2) De febribus mesentericis. Rostochii 1727.

(3) De febri stomachica intestinali. Argent. 1760.

vero et decursus, quem illi scriptores de hac febri proferunt, aliis quoque febribus adultos aggredientibus competunt, nec quid infantibus proprii habent. Recentioribus temporibus Angli et Americani medici distinctius et accuratius hunc morbum observarunt, et febrem remittentem infantum descripserunt. Inter Germanos *Autenrieth* scrophulas acutas nominat.

Duas formas distinguendas puto, acutam, vehementioribus symptomatibus et celeriori decursu excellentem, et chronicam, occultis signis incipientem et plures per menses perdurantem; chronica respondet tabi mesaraicae, uti nonnulli scriptores censent, at potius tabes est exitus hujus formae.

## SYMPTOMATOLOGIA ACUTAE FORMAE.

*Symptomata febrilia:* Causa praegressa occasionali aut prodromi cuivis febri praecedentes, ut languor, pandiculatio artuum, oscitatio, animi morositas animadvertuntur, aut subito infantes febricitare incipiunt, leve frigus sub vesperam accedit, quod subsequuntur calor, genae laeto rubore circumscriptae; pulsus frequens, plenus, sat magnus tangitur, cutis sicca est et arida, lingua aut pura et rubra aut pauxillo muci obtegitur. Haecce symptomata fe-

brilia per noctem perseverantia, sub auroram remittunt aut prorsus silent, sudor saepe tantum partialis prorumpit, urina praebet sedimentum. Ineunte morbo saepissime febris typum intermittentem prae se fert, mox vero in remittentem transit, fere nunquam a *Baglivio* descriptus typus semitertianus observatur. Interdum, remissione tertia quartave peracta, evenit, ut febris evanescat, sed infantes, quamquam secretiones ad normam respondeant, digestione turbata, languidi, paflescunt. At aegrotus hacce intermissione tres quatuorve dies tantum gaudet, mox eodem ordine graduque symptomata febrilia redeunt, cum topicis signis tunc conjuncta.

*Symptomata topica:* aegrotuli dolores fugaces, per plura horae minuta vigentes, pungentes, colicis haud absimiles accusant, abdomen tumescit, molle passim sentitur, tactum non bene fert, ciborum appetentia deficiente, nunc diarrhoea, nunc alvi obstructio observatur, excreta aut cibos sumptos exhibent aut materiam albam (diarrhoeam chylosam), aut ovis concisis simillima.

Haecce quoque symptomata intermissiones obtinent, mox vero omni adeo remissione carent. Pulmones brevi tempore per consensum afficiuntur, tus

sis urget aut sicca aut difficili negotio muci parum ejicitur.

His conditionibus vis muscularis mox frangitur, extremitates labefiunt, pinguedo omnibus in corporis partibus consumitur, abdomen vero magis magisque in dies tumescit et facies pallida, collapsa, interdum pupilla dilatata animadvertuntur.

*Willan* (1) signum characteristicum ischuriam renalem commemorat; in cadaveribus enim quatuor puerorum, qui ischuriae succubuerunt, mesenterium inflammatione correptum, glandulas mesaraicas valde tumidas, vesicam urinariam lotio vacuam reperit.

Eandem ischuriam in puero febri mesaraica laborante, quam mox anasarca sequebatur, ego observasse mihi videor.

*Diagnosis.* Hic morbus facile cum aliis confundi potest, quare diagnosis firma eo gravioris est momenti, quo periculosior curatio perversa esse solet.

*Confundi potest:*

*Cum febri intermittente*, quod eo facilius fit, quo manifestius initio typum intermittentem induit. Sunt quidem signa, quibus jam initio uterque morbus differt, luculentissime vero differentia in decursu ulteriori demum cernitur. In plurimis casibus fe-

(1) Med. Facts and Obss. Vol. III.

bris mesaraica subito intrat sine longo stadio prodromorum, crisin per cutim et urinam, uti in intermittente post paroxysmum, non producit; praeterea cum intermittente symptomata tam perspicua topica conjuncta esse non solent.

*Cum helminthiasi:* aliquanto difficilius ab hoc morbo, quocum simul adesse potest, distinguitur. Pauca tantum signa exstant eaque fallacia, quibus uterque morbus discrepat, ad quae, si velis, intumescentiam abdominis, qualitatem excretorum alvi et consensum pulmonum numerare licet; negari autem nequit, haecce symptomata etiam in helminthiasi inveniri, in plurimis vero casibus febris, quae vermibus provocatur, non tam vehemens observatur, quam in glandularum mesaraicarum inflammatione.

*Cum enteritide et quidem dentaria et helminthiaca:* febris mesaraica inter dentitionem infantulos raro invadit, fere semper sunt provectiore aetate; in enteritide dolor multo vehementior apparet, quem aegrotuli flectendo et attrahendo pedes ad truncum, distorsionibus faciei, ejulatu, si intestinum coecum digitis prematur, produnt; ceterum excreta alvi striis sanguineis commixta animadvertes. Enteritis helminthiaca in membrana mucosa intestinorum sedem ha-

bens chronicum magis decursum absolvit, obtusi sensum doloris in abdomine, sub vesperam ingravescentem aegroti queruntur, alvi fluxus, numero ingens, nocturno tempore intrare solet.

*Cum febri gastrica:* quamquam fere nunquam sordes gastricae desint et ex linguae indole et interdum vomituritionibus et vomitu ipso febrem gastricam suspicari possis, tamen explorationi accuratiori morbum primarium extra ventriculum sedere et inflammatorium esse, e sede doloris mox tibi persuadebis. Nil interesset, si morbo nomen febris gastricae tribueres, nisi ipso nomine ad curationem plane contrariam inducereris; praeterea hoc nomen idcirco aptum non est, quod eo tantum organon minime systema affectum innuitur.

*Wendt* (1) signa characteristica febris mesaraicae gradum febris sat vehementem, tumescentiae regionis epigastricae, naturam linguae et qualitatem urinae affert: lingua media oblinitur muco, margines laete rubent, urina, quamquam saturata, tamen nubila. Etiamsi haec symptomata fere semper in hoc morbo observentur, signa topica gravioris momenti habeo.

*Cum colica flatulenta:* levior ejus gradus vix

(1) Kinderkrankheiten, Febris mesaraica.

cum febri mesaraica potest confundi; accidit vero interdum, ut teneriori constitutione graviora symptomata febrem provocent, quo facto inaequalitate abdominis, borborygmis et torminibus, sono tympanico percussionem excipiente, ructibus flatibusque et spastica lotii, pulsus et cutis indole facili negotio a febri mesaraica dignoscitur.

## AETIOLOGIA.

Habitum scrophulosum exhibere momentum praedisponens negari nequit et eum quidem, quem nos dicimns irritabilem. Excellit cute vulnerabili, tenerrima, albida, per quam praecipue venae manifestius transparent, flavis capillis, longis ciliis, magnis mentis dotibus, praecoci ingenio, vigore et agilitate corporis. Cum systema lymphaticum efficacissimum sit in infantibus, maxime vero in scrophulosis, haud mirandum est, facile et levi tantum causa occasionali glandulas processu inflammatorio corripi. Quamquam a tenerrima aetate usque ad pubertatem hic morbus apparere possit, crebrius tamen inter septimum et undecimum annum observatur. Tempestatis constitutio epidemica morbi originem maxime fovere videtur; frequentissime enim vere et autumno pluvioso animadvertitur, quo pe-

dibus madefactis ad refrigeria infantes occasionem saepe offerunt. Si relata momenta, ut habitus corporis, et aëris constitutio confluunt, levissimum diaetae vitium morbum provocare valet.

Morbus ad septimum, undecimum vel vicesimum primum diem crisi indicari solet, sin minus, nisi febris vehementiae aegrotus succumbat, tertio quartove mense tabe mesaraica finitur. In diagnosi autem commisso errore et medicaminibus roborantibus exhibitis, excitus lethalis valde acceleratur.

*Exitus: in sanationem;* febris sensim sensimque evanescit, cutis antea arida et sicca, ad functionem redit, sudor universalis aegroto levamen afferens erumpit, quo facto saepe desquamationem furfuraceam observabis, urina uberrime missa sedimento excellit, topicae affectiones abdominis et pectoris aegrotum vexare desinunt. Quae cum ita sint, saepe evenit, quod faustissimum signum habetur, ut glandulae lymphaticae externae, ut inguinales, aut cervicales, antea morbi expertes, subito intumescant et inflammentur, et, quod mirum est, tribus quatuorve diebus exactis, in suppurationem abeant. Quod pro fausta metastasi habendum esse quis negaverit? — Namsi, febri sublata, metastasis non appareat, timendum est, ne morbus levissimo diaetae vitio aut

refigerio recidivus fiat, vel in alium malum chronicum transeat. Quod fere semper, uti in scrophulosi, ita in aliis etiam morbis materialibus observatur, ut, malo externas partes occupante, internae liberentur.

*In inflammationem chronicam:* febris quidem silet, sed minori gradu malum topicum in abdomine perseverat, digestionis functio non restituitur, ciborum appetitu deficiente, excretio alvi valde irregularis apparet, mox omnia omnino symptomata tabem, quam infra describam, mesaraicam produnt.

*In mortem*, quae vario modo induci potest:

*a*) febris vehementia, quod quidem raro accidit, ad eum gradum, ut aegrotus ei succumbat, evehitur, aut, ut cum plurimis scriptoribus dicam, febris nervosae indolem induit. Quod si fiat, sopor, crocidismus, deliria adveniunt, convulsiones succedunt, maculae et bullae gangraenosae in cute apparent, diarrhoeae colliquativae intrant, oculi splendorem amittunt, lingua integumento flavo fusco obtegitur, spiritus odore cadaveroso impraegnatus et aegrotus sub febris putridae malignae signis mortem obit.

*b*) Symptomata aquae collectae in abdominis (Ascites) aut in pectoris cavo (Hydrothorax) accedunt; in abdomine tactu semper adhuc dolorifico,

fluctuatio sentitur, hydrothoracem ex percussione, auscultatione, e situ aegroti sedentario, ex dyspnoea vel orthopnoea, ex oedemate extremitatum, palpebrarum, ex cute arida, rimosa, ex parca urinae emissae, turbidae, rubro-fuscae copia cognosces.

## SECTIO CADAVERUM.

Colluvies aquosa filamentis materiae lymphaticae intermixta aut in abdominis cavo aut in saccis pleurae saepissime reperitur, semper vero desorganisationes glandularum mesaraicarum aliarumque lymphaticarum observantur. De his exempla apud scriptores anatomiam pathologicam tractantes multa exstant, quorum *Baillie*, *Soemmering*, *Bonnet*, *Morgagni*, *Lieutaud* mentionem fecerunt. Glandulas mesaraicas tumefactas a magnitudine fabae ad nucis juglandis usque animadvertere licet, in superficie et in septis cellulosis valde vasculosas, massa scrophulosa impraegnatas; vasa lymphatica dilatata, ipsorum parietes condensatos invenies. Eodem modo reliquae glandulae maxime bronchiales morbi participes fuerunt. Quantopere modum istae destructiones excedere possint, ipse in theatro anatomico Vratislaviensi vidi, ubi cadaver puellae sex annorum secabatur, in quo fere omnes glandulae lymphaticae,

mesaraicae, bronchiales, juxta columnam vertebralem positae, inguinales, tracheales, induratae et ad magnitudinem nucis juglandis amplificatae reperiebantur.

## PROGNOSIS.

Si ab initio morbus rite cognoscitur et aegrotis statim lege artis auxilium fertur, haud malam nominaverim praedictionem, neglectus, aut non cognitus morbus ad periculosissima mala summo jure referri debet. Ceterum ab his momentis augurium pendet:

*a*) A tumescentia abdominis; si morbus progreditur, magis magisque tumet venter, quod malum est.

*b*) A constitutione aegroti; teneri et debiles magis periclitantur; si tabis signa jam adsunt et magna virium prostratio aegrotos occupat, pessimum est.

*c*) A consensu pulmonum; tussis sicca mala habetur, quod perpetua irritatione etiam bronchiales glandulas in suppurationem esse transituras suspicemur oportet.

*d*) A febris vehementia; si symptomata illa supra allata nervosa in conspectum prodeunt, si sanguinis impetus caput versus, quo infantibus fa-

cile tendit, permagnus exstat, spes sanationis exigua superest, quod typum attinet, remittens pejor intermittente censetur.

*e*) Ab indole cutis et urinae secretionis; si cutis arida et sicca perpetuo manet, si cum ischuria, uti *Willan* commemorat, morbus conjunctus est, pessimum, neque minus, si hydropis signa apparent.

## THERAPIA.

Cum ex symptomatibus, cujusnam indolis sit morbus, satis eluceat, quamnam methodum exhiberi oporteat, nemo ignorabit; sola enim antiphlogistica aegrotis salutem ferre valet, itaque indicationes e gradu inflammationis et febris metiendae sunt, quare inflammationem resolvi, febrem debellari et derivationem ad cutem perfici necesse est. Quibus ut satisfiat, medicamenta quidem antiphlogistica requiruntur, sed pro re nata varia. Si febris sat vehemens et alvus retenta sit, Hydrarg. murtc. mite laudatur, sin diarrhoea, gummosa remedia, ut Dt. Salep cum Extr. Cicutae vel Hyosc. imprimis si tussis sat gravis urgeat, ad sensibilitatem adauctam mitigandam; si neutrum animadvertatur, pro gradu febris vario salia neutra modo mitiora, modo fortiora porrigantur.

Interdum si ob congestiones caput versus hirudines ad caput applicandas et epithemata frigida in usum vocanda censeas, sine ulla mora perficiatur cures, quod infantibus exsudationes saepe inopinanter superveniunt. Curatio topica gravissimi momenti, itaque nunquam negligenda est: applicentur hirudines ad loca dolentia, minime vero, ut nonnulli imperant, ex aetate infantis, sed e gradu doloris earum numerus determinetur; abdomini superimponantur cataplasmata emollientia et sedativa e speciebus emollientibus cum herba Cicutae vel Hyosc. parata, praeterea unctiones ex ungt. Hydrarg., ex oleo Hyosc. cocto cum ungt. Alth. instituantur.

Si his remediis adhibitis evenit, ut febris et symptomata topica fere cedant, si ad septimum vel undecimum diem molimina critica, ut cutis mollis et tractabilis, urina hypostatica, haud saturata, medici observationem non fugiant, cutis et renum functio adjuvetur. Ad quem finem balnea calida adhibenda sunt, interne Ammon. acetc., Kali acetc., Vin. stibiat. et alia medicamenta cutis transpirationem promoventia, urinae secretio vel Kali acetc. vel. Infus. Digitalis purp. foveatur, commode medicamina utrique indicationi respondentia addi licet.

Diaeta, in hoc morbo gravissima, strenue an-

tiphlogistica imperanda est, sorbitiones aquosae, vegetabilia eupepta tantum largienda sunt, pro potu decocta gummosa, amylacea, quibus, signis acidi eminentibus, antacida addenda, e. g. aq. saccharata cum lapidibus cancrorum, Magnes. usta, Natr. subcarbonica.

Si metastasis ad glandulas lymphaticas externas transferatur, inflammatio cataplasmatibus emollientibus quam primum ad suppurationem perducenda est; in plurimis casibus suppurationem alicujus glandulae, loco fonticuli per aliquod temporis spatium ad derivandam materiam morbosam ab internis partibus, sustentare saluberrimum probatur. Quodsi medico contigit, ut aegrotum morbo liberaret, tamen convalescentiae diligentissima ratio habenda est, ne ille recidivus evadat.

Digestio atque vires si prostratae jacent, quomodo ad priorem statum sunt reducendae? — Solito more in omnibus fere morbis, digestionis organa adgressis, in stadio convalescentiae amara et sic dicta stomachica larga manu porriguntur, qui mos eo periculosior, quo manifestior status inflammatorius antecesserat. Cavendum igitur in hujus morbi convalescentia maxime est, ne porrectis toni-

cis vel roborantibus morbus revertatur. Restat quidem, ut, morbo sublato, digestionis organa in integrum restituantur et corporis vires reficiantur; id vero sensim sensimque et magis diaeta quam medicamentis est efficiendum. Quod in universo ad diaetam aegroti pertinet, notandum puto, uti in quaque forma scrophuloseos, ita hic quoque diaetam carnosam salubriorem esse vegetabili, ergo desiderio infantum, quo admodum flagrant, substantiis vegetabilibus et dyspeptis vescendi non esse satisfaciendum, quod processu praevalente vegetativo facile acidum formatur. Eodem modo aër purus et vestitus haud nimis calidus commendandi sunt. Sin vero in convalescentiae stadio medicamentis opus sit, ea eligenda sunt, quae leniter alvum ducant, simulque intestinorum tonum augeant, quibus interpono Rheum, Kali acetc.

Quid de adhibendis thermis in convalescentia maxime laudatis tam pro potu quam pro balneo dicam? — Si infantibus tenerae constitutionis vires non redeunt, si facies semper pallescit, thermae acido carbonico, vel ferro carbonico impraegnatae cautissima manu adhibitae saluberrimae sunt.

Medelam inflammationis chronicae, morbi se-

cundarii, infra exponam, de hydropis curatione hic disserere a proposito alienum est.

## CHRONICA FORMA.

Quamvis ex dictis satis eluceat, saepe difficilem esse cognitu mesenteritidem acutam, multo tamen frequentius praetervidetur chronica, quippe quae praecipue inter primordia paucis tantum signis characteristicis sese prodat. Utplurimum medici auxilium tum imploratur, si tabes mesaraica jam conclamata est.

Momenta ad stabiliendam diagnosin valentia, quantum in me est, conferre studebo.

Hic morbus tantum in scrophulosis hominibus, nec solum in infantibus, sed, quamvis rarius, in adultis et tum praecipue intra involutionis periodum observatur.

## SYMPTOMATOLOGIA.

Aegroti fugaces, pungentes, colicis haud absimiles dolores, in abdomine intimo locum habentes accusant, sed hi dolores non continuo vexant, cedunt et redeunt, post nonnullos dies, saepe tantum per aliquot horae minuta perseverant. Abdomen tumet, singulae intumescentiae per integumenta tangi

possunt, eaeque durae sunt, inflammatae, tactu dolentes. Digestionis functio turbata, appetentia ciborum aut plane prostrata aut desiderium apeptarum vel acidum continentium materiarum, ut panis aciduli, lactis similiumque infestat. Eodem modo excretio alvi a norma recedit, modo obstructio per plures dies perdurat, modo diarrhoea ita adurget, ut haec cum illa alternet. Excreta varia sunt: nunc spumosa, nunc ovis concisis ob praevalens acidum similia et anum valde corrodentia, nunc serosa, chylosa. Totus tractus intestinorum vel muco vel acido scatet, quod e symptomatibus jam supra descriptis patet.

Hoc in statu corpus brevi macrescit, musculi relaxantur, oculi natant, omni vita et vigore carent, labia aspera, cutis rigida, sicca apparent, extremitates frigent, pulsus parvus, filiformis et vacuus tangitur. Quae symptomata topica ineunte morbo aut febris irregulari typo conspicua comitatur, aut certis diei horis pulsus parum concitatus invenitur.

## AETIOLOGIA.

Causa praedisponens cum ea acutae formae consentit, nam hic quoque scrophulosis accusatur, ea tantum differentia, ut ad chronicam magis habi-

tus scrophulosus torpidus vergat. Cum in hoc systema sanguiferum ad eum perfectionis gradum evectum non sit, cum sensibilitas admodum exigua omnibus corporis actionibus cognoscatur, facile est intellectu, qualiacunque noxia externa exilem tantum reactionem tam systematis sanguiferi quam nervosi provocare posse, quare omnes morbi parum manifestis symptomatibus incedant et lentum decursum sequantur necesse est, dein affectiones qualescunque systematis lymphatici, infimi omnium vitae factorum, longum temporis spatium perseverare, quivis medicus quotidie experitur.

Cum habitus scrophulosus torpidus fere plane contrarius sit irritabili, paucis tantum eum adumbrare liceat. Infantes capite amplo, capillis hirsutis, labiis crassis praediti, labium superius plerumque muco naribus effluente excoriatum, alae narium admodum distensa, abdomen tumens et tensum, extremitates graciles, ingenium hebes, sensus debiles, maximam diei partem somno transigendi cupiditas, ciborum magna aviditas, maxime vegetabilium, blennorrhoea cujusdam membranae mucosae.

Quod prognosin de vita attinet, infantes cum habitu torpido saepenumero in pubertatis periodo bene et valide evolvuntur, dum illi, qui habitu ex-

cellunt irritabili, plerumque corpore et animo ante pubertatis tempus marcescunt et pereunt.

Quomodo fieri possit, quaeris ex me? — Id phaenomenon haud difficile explicatu mihi videtur.

Nervorum vires in irritabili habitu, constantia reactionis deficiente, mox quovis externo insultu exhauriuntur, itaque debilitas, quam nos dicimus, indirecta oritur. Eandem indolem systema sanguiferum maxime incitabile prae se fert, subito rubescit facies et augetur palpitatio cordis. In torpido contra omnes actiones lente et cum energia quadam succedunt, neque facile externis rebus ad reactiones provocantur, itaque vires non cito prosternuntur. Causa occasionalis aut alimentis noxiis aut antagonismo cutis cum nutritionis systemate, refrigerio scilicet potest exhiberi. Decursum hujus morbi lentum esse, jam adnotavi, etenim per menses, immo per annos saepe protahitur.

*Exitus est duplex*: inflammatio quidem silet, sed glandularum intumescentiae restant, chylopoësis et nutritio turbatae remanent, quamdiu enim fnnctio digestionis ad normam non rediit, aegrotus sanatus haberi nequit, quaeque tempestas inimica ad reversiones opportunitatem praebet.

Alter exitus est suppuratio glandularum et quae

eam sequitur, tabes mesaraica. Hunc funestum exitum jamjam intrasse ex febris signis suppuratoriae vel hecticae cognosces. Initio typum intermittentem prae se fert, tum remittentem induit, denique in continuum continentem transit. Si vespertino tempore pulsum concitatum, frequentem, mollem, parvum, vacuum tangas, si genae circumscriptum ruborem habeant, si in manuum volis calorem mordacem, ingratum invenias, si abdomen tactu dolorificum se praebeat, in suppurationem glandulas mesaraicas transiisse, concludere licebit. Quod si factum est, colliquationes per tractum intestinalem, diarrhoea sese prodentes, per cutem, sudore profuso nocturno insignientes et fere semper consensu per pulmones, sputis conglobatis, purulentis se manifestantes, vires exhauriunt et aegrotum lecto affixum tenent, quibus extrema macies supervenit, aegrique speciem teterrimam reddit.

*Sectio* cadaverum fere eadem visa reperta, quae in acuta forma deprehenduntur, offert, in chronica tamen destructiones majorem gradum assecutae sunt, saepe omnes glandulae mesaraicae in suppurationem conversae animadvertuntur, quod etiam in aliis glandulis lymphaticis observatur, interdum aliae, valde induratae exstant, aliae confluxerunt. In tanta

destructione glandularum mesaraicarum nunquam fere signa tabis intestinalis desiderantur. Membrana mucosa emollita, laxa, passim destructa, perforata cernitur, glandulae intestinorum ichorosam materiem continent.

Prognosin esse admodum infaustam, ex causa praedisponente, scrophuloseos forma, decursu morbi, ex difficili denique ab initio diagnosi satis patet, ceterum gradu intumescentiae abdominis, numero et magnitudine tumescentium glandularum, macie jam provectiori et vel urgente vel deficiente febri suppuratoria determinatur. Si macies nondum nimis provecta sit, si febris hectica desit, omnis sanationis spes, medela saltem diligentissime instituta, non abjicienda est. Noli tamen sperare, quod adhuc monendum habeo, fore, ut criticis signis apparentibus morbum tollas; nunquam hic vera signa critica observabis, sed sensim sensimque symptomata morbosa delere si contingat, faustum tibi evenisse putes, nam curatio per longum temporis spatium protrahitur.

## CURATIO.

Cum haec inflammatio sic dicta dyscratica sit, methodus mere antiphlogistica ad morbum exstinguendum vix sufficiet. Semper medici est, in tali

casu dyscrasiae eminentis rationem habere. Methodum antiphlogisticam cum restrictione initio quidem maxime indicetur, simul vero indicatio causae non negligatur, itaque utraque, quantum fieri potest, conjungatur oportet. Externe ad locum dolentem hirudines applicandae, tum inunctiones adhibendae, fomenta et balnea calida emollientia instituenda sunt. Quibus fit, ut inflammatio frangatur et crisis topica per antagonismum cutis provocetur.

Interna medicamina ea laudantur, quae sensibilitatem adauctam minuant et producta aliena, ut acidum, neutralisatione tollant et removeant. Ad hunc finem narcotica et absorbentia respondent. Ad narcotica huc spectantia praecipue Cicuta et aqua Laurocerasi, acidum borussicum continens, numerantur. Aut Extr. Cicuta merum cum antacidis, ut Calcaria usta, lapidibus cancrorum et talibus, aut solutum in aq. Laurocerasi porrigitur. Ceterum aliae medendi rationes habendae sunt, respiciendus est status intestinorum, utrum tarditas et obstructio alvi, an diarrhoea adsit, itaque modo alvum solventia antiphlogistica, modo diarrhoeam sistentia, gummosa, amylacea in usum vocanda sunt.

Praetermitto hic omnia medicamenta ad scrophulosin commendata; namsi evenit, ut inflammatio-

nem sustuleris, curationem contra dyscrasiam scrophulosam instituendam esse haud negabis.

Quum in acutae formae stadio convalescentiae medela necessaria habeatur, eo magis in chronica ista necessitas prostat, quoniam, quod jam memoravi, tanto facilius recedit, quanto penitius in corpore morbus primarius haeret. Hic quidem locus est amaris et tonicis remediis. Si persuasum habeas, nullum inflammationis vestigium glandulas occupare, si ope virium relictarum, quod in aegrotis torpidis fere nunquam accidit, digestio non restituatur, intestinorum actio torporem prodat, medicamenta, quibus digestionis systema excitetur, adhibere non haesitabis. Huc pertinentia principio amaro et amaro aethereo excellere debent, minime vero sine ullo discrimine in usum sunt vocanda. Leviora amara, ut Inf. Absinth., Marub. alb., herb. Heder. terrestr., Trifol. fibrin. et similia praeparata leviora, cum Inf. aethereo-amaro, ut cortc. Aurant., Citr. aut forsan parca cum portione alicujus aetheris conjuncta, aegrotus ineunte convalescentia bene feret; quo facto ad fortiora, ut ad Calamum aromatic., aromata ipsa, denique ad leviora ferri praeparata transire proderit. Ut vero quotidie alvus solvatur,

hisce medicamentis sal neutrum blandius vel Rheum adjungere saluberrimum erit.

Per quodnam tempus illa medicamenta exhibenda sint, arbitrio medici derelinquendum est, nam continuo amarorum usu digestio magis depravatur quam roboratur.

Diaeta quoque et regimen scrophulosis torpidis alia ac iis, qui habitu irritabili excellunt, praescribantur necesse est. In universum illis magis excitantia et irritantia alimenta, aër oxygenio abundans opitulantur.

Ad curationem secundariam ab omnibus scriptoribus balnea naturalia laudibus summis extolluntur, et inter haec initio salina tum acido carbonico, denique ferro carbonico impraegnata, quae simul pro potu commendantur.

In plurimis casibus haec prae ceteris omnibus medicamentis aegroto salutem ferre pro explorato habeo.

Si tabes mesaraica jamjam est confirmata, aegrotum fere nunquam morbo liberabis, at vero curatio, quam scriptores in therapia speciali apponunt, quid valeat, periclitandum est; in ultimo stadio, cum jam colliquationes aegrotum exhauriant, sym-

ptomata urgèntia, quantum in medico est, ut coërceantur, superest.

Inter plures hujus morbi casus, quos per academicorum studiorum tempus Vratislaviae observandi data est occasio, unus qui describatur dignissimus mihi videtur.

*Eduardus F....* quinque annorum puer, scrophulosa matre natus, ipse manifestissima scrophuseos signa prae se ferens, variis formis impetiginum laboraverat; processus vero scrophulosus haud tantum in scrophulis lymphaticis potuit collocari, nam ossibus quoque rhachitidis specie vestigia impressa haerebant, quare corporis evolutio cum annis non processerat. Huc accedit, quod parentes corpori animoque infantis parum curae impendebant, itaque quibuscunque injuriis, quod ab infima plebe fieri solet, alimentorum et tempestatis eum committi patiebantur. Hinc evenit, ut maximam diei partem tempestate humida veris, nive liquescente, sub coelo peragerret, et aliquanto sub vesperam reversus, subito frigore, calorem subsequente perculsus, lectulum peteret; noctem inquietus transegit, dolores abdominis accusans, altero die, ut mater contendit, ab omnibus febris signis liber fuit. Tertio die post initia morbi, quum eodem tempore febri puer es-

set correptus, mater institutum clinicum adiit, auxiliumque petiit. Mihi contigit, ut aegrotulum curandum acciperem, quem igitur quarto demum morbi die vidi. Matre de anamnesticis supra positis interrogata, haecce symptomata detexi: puerum febricitare me non fugit, pulsum frequentem, sat plenum et magnum, duriusculum tetigi, temperatura cutis ad thermometrum adaucta, cutis ipsa sicca, caput calidum, lingua muco leviter oblinita, vomituritiones non vomitus aderant, alvus jam ex biduo obstipata, primis vero diebus diarrhoea, cujus indolem mater determinare non poterat, adfuit, et quod mirum, per diem integrum, urina non secesserat. Explorato abdomine plura loca dolorifica reperi, ita ut, si digitis altius premerentur, puer exclamaret. Abdomen ipsum parum tumens, passim durum. Dolores ipsi sedem non mutabant, sed infra ventriculum remanebant. Quid de peritonitide vel enteritide cogitaverim? — Cum peritonitide dolores et febris non congruere videbantur, tanti non erant, quanti in peritonitide, ne levissimum tactum ferentes, febris vehementia cum levi peritonitidis gradu, si adesset, non consentiebat. Minora argumenta enteritidi repugnare videbantur; ex causa occasionali neque hic neque ille morbus negari nequit.

Quibus animo pensitatis, nec in peritonitide nec in enteritide tum manifestas intermissiones observari censui, nam primo insultu transacto, puer fere ex toto omnibus signis morbosis liber fuerat. Sed quid de intermittente? Tum pro tertiana tantum habuissem, at neque tempus paroxysmi febris tertianae cum hoc insultu convenit, nec crises per urinam et cutim post insultum observatae erant, nec cum symptomatibus topicis tam manifestis conjuncta intermittens esse solet, et quod summum est, aegrotum matutinis horis febri haud liberum inveni. Quare ex supra collatis symptomatibus, ex causa occasionali, praedisponente, decursu febris et ex topicis signis inflammationem glandularum mesaraicarum seu febrem mesaraicam infantem occupasse concludendum censui. Qua constituta diagnosi de curatione non haesitavi. Gravissimi momenti indicationes esse putavi, febrem tollendi et inflammationem ad resolutionem adigendi. Ad hunc finem, et quia per biduum alvus non erat soluta, Hydrarg. murtc. mit. granum unum omni bihorio porrexi, et, ut tutius alvus solveretur, Kali sulphur. grana quatuor addidi. Abdomini hirudines ad locum affectum applicandas, tum cataplasmata emollientia adhibenda curavi.

Quum siti aegrotus sat vehemente premeretur, pro potu Dt. Alth. imperavi. Sub vesperam, cum viderem aegrotum, sat manifestam exacerbationem animadverti. Per noctem alvus ter soluta fuit, excreta, uti post Calomelanos usum fieri solet, viridis coloris erant, quietior nox cesserat, dolores abdominis minutos, febrem mitiorem facta exploratione observavi, urina sat copiosa, saturata et turbida missa est. Calomelanis et cataplasmatum, quibus vicissim per noctes inunct. mercuriales interposui, usum continuandum putavi. Sic reliquus status, si topica symptomata et febrem superstite parvo gradu evanuisse excipias, ad septimum morbi diem non mutatus est. Rebus ita sese habentibus prognosis quod ad exitum malam augurandam aestimavi. Cogitavi vel de ascite vel de chronica forma mesenteritidis. Initio morbi ambiguam esse e symptomatum praesentia haud dubitavi. Cutis semper sicca et arida ramansit, urina sedimentum non praecipitavit, lingua eandem qualitatem retinuit, immo abdomen magis tumuit. Calomelani sexto die Kali tartarc. in Dt. Hord. solutum et c. aq. Lauroceras. conjunctum substitueram. Tunc ad sudorem movendum et sic crisin extorquendam diaphoretica adhibendi tempus exstitit. Quare Liq. Ammon.

acetc. et vin. stibiat. in usum vocavi simulque ad firmanda medicamina balnea calida imperavi. Sed tempus experimentis terebatur, nil critici per cutim vel per urinam apparuit, attamen interdum aegrotus dolores fugaces abdominis sensit. Quae cum ita essent, ad tertium decimum diem illa medicamenta seposui, et, cum excretio alvi tarde procederet, Kali acetc. c. Dt. Rhei praescripsi. Tum suspicio, morbum in chronicam formam esse transiturum, propemodum evidentiam nacta est, nam febris evanuerat, symptomata topica, interdum iterum emergentia, remanserunt, excretio alvi praeter normam successit, appetitu caruit infans, et quod summum fuit, indies viribus magis labentibus, facies palluit et totum corpus jam emaciatum apparuit. Quae cum ita essent, infantem tabe mesaraica obiturum putavi. Tunc ad roborantia, quibus, respectu tardae excretionis alvi habito, salia leviora neutra addidi, nominatim ad Calam. aromtc. confugi.

Cum res familiaris parentum curationem, qua opus erat, non permitteret, in solo medicamentorum internorum usu subsistere debebam.

Postquam per quatuor hebdomades in universum tonicis et pro re nata salinis antiphlogisticis

curationem moderatus essem, Vratislaviam reliqui. Ceterum medendi rationem non accuratius, sed obiter tantum me exposuisse, vitio ne vertas, quum enim diagnosin scire maxime mea interesset, sectionem cadaveris instituendi opportunitatem mihi non esse oblatam, haud mediocriter doleo.

# V I T A.

Ego *Franciscus Augustus Krause* natus Magnae Glogaviae sum secundo die mensis Novembris MDCCCIX, *Carolo Krause*, patre optimo, et *Leonora*, e gente *Machuiana*, matre carissima, quibus superstitibus adhuc gaudeo.

Primis litterarum elementis in schola publica urbis patriae imbutus, gymnasium, quod ibidem sub auspiciis Rectoris *Ender* floret, adii, unde spatio octo annorum elapso, maturitatis testimonium nactus, Vratislaviam me contuli, ubi A. MDCCCXXX die secundo mens. Novembris ab Ill. Prof. *Wachler*, t. t. Rectore Magnifico Universitatis Viadrinae Vratislaviensis civibus adscriptus, nomen dedi apud Ill. *Otto*, t. t. medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem. Hasce scholas ibidem per triennium et semestre frequentavi:

Ill. *Otto* de Anatomia generali et speciali, eademque comparata et pathologica, de historia foetus, de sectionum forensium instituendarum methodo; nec minus ille vir egregius exercitationes meas anatomicas moderatus est: porro Ill. *Steffens* de Physice et Mineralogia, Ill. *Fischer* de Chemia theoretica practica et pharmaceutica et organica, Ill. Prof. *Thilo*, de Logice et Psychologia, Ill. Prof. *Purkinje* de Physiologia experimentali, de Pathologia generali, de Toxicologia, Ill. Prof. *Klose* de Encyclo-

paedia medica, de Therapia generali, Ill. Prof. *Gravenhorst* de Zoologia, Ill. Prof. *Nees ab Esenbeck* de elementis Botanices, Exp. Dr. *Hemprich* de Magnetismo animali, Exp. Dr. *Seidel* de arte formulas medicas conscribendi, Ill. Prof. *Henschel* de Historia rei medicae, Ill. Prof. *Wendt* de materia medica, de infantum morbis, de morbis laesa nutritione exortis, de Cholera, de inflammationibus et febribus. Ill. Prof. *Benedict* de Chirurgia generali, speciali et operativa, de Ophthalmiatrice, et fasciis et instrumentis chirurgicis; ejusdemque examinatorium de rebus chirurgicis, exercitationes chirurgicas in cadaveribus, Clinicum et Policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum per annos duos frequentavi. Ill. Prof. *Remer* de morbis pyreticis et apyreticis. Clinico ejus medico per annum et dimidium me interfuisse semper gloriabor. Ill. Prof. *Betschler* scholas de arte obstetricia cum theoretica tum practica, nec non Clinicum et Policlinicum obstetricium per annum adii.

Examine philosophico Vratislaviae rite absoluto, anno MDCCCXXXIV Berolinum ad Universitatem litterariam Fridericam Guilelmam me contuli, ibique ab Ill. Prof. *Strauſs*, t. t. Rectore Magnifico civium academicorum numero die XXX. mens. Aprilis adscriptus nomen professus sum apud Ill. Prof. *Busch*, t. t. Decanum maxime spectabilem. In hac alma Musarum sede frequentavi Clinicum medicum Cel. Prof. *Wolff*, Clinicum chirurgicum Ill. Prof. *Rust*.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis, optime de me meritis, maximas, quas habeo, ago gratias semperque agam.

Examine philosophico, tentamine examineque rigoroso superatis spero, fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES DEFENDENDAE.

1. Materia scrophulosa et tuberculum non idem est.
2. Vires medicamentorum minime chemico examine detegi possunt.
3. Haemorrhoides et arthritis ex uno eodemque fonte oriuntur.
4. Medicum nullius scholae commentis deceptum compedibusque vinctum incedere decet.
5. Foetui, si mater gravida adspectu alicujus rei nimis commoveatur, vitium inferri posse, non est negandum.